



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **ANTIQUIS A TEMPORIBUS BEATA MARIA VIRGO TITULO**  
«NUESTRA SEÑORA DE ZAPOPAN»  
NUNCUPATA, PATRONA APUD DEUM ARCHIDIOECESIS  
GUADALAIARENSIS IN MEXICO CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Antiquis a temporibus  
evangelizationis in Mexico, Christifideles Guadalaiarenses necnon finitimarum regionum Beatam Mariam Virginem, titulo  
«Nuestra Señora de Zapopan» invocatam, peculiari quidem cultu constat prosequi tamquam suam Matrem, Magistrum et  
Reginam. Qua re motus, Venerabilis Frater Ioannes Iesus Posadas Ocampo, Archiepiscopus Metropolita  
Guadalaiarensis, communia cleri populique vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis memorato sub titulo in  
Patronam apud Deum Ecclesiae suae rite probavit atque, datis litteris die I mensis Augusti hoc anno, petivit ut electio et  
approbatio huiusmodi, iuxta «Normas de Patronis constituendis» et ad normam «Instructionis de Calendariis  
particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur.  
Nos igitur, Qui die XXX mensis Ianuarii anno MCMLXXIX per Apostolicum iter in Mexicanam Nationem eiusdem  
Deiparae Virginis imaginem summa pietate venerati sumus, istius Pastoris preces cupientes audire, comprobatis iis,  
quae Congregatio pro Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Nostra potestate usi, harum Litterarum  
virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo «Nuestra Señora de Zapopan» invocatam Patronam  
apud Deum Guadalaiarensis archidioecesis confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas  
consequentibus. Quod felix faustumque sit illi sollerti Praesuli eiusque Episcopis Auxiliaribus ac dilectissimis Nobis in  
Christo filiis Guadalaiarensibus inque spirituale eorum omnium cedat bonum. Ceterum volumus atque mandamus ut hae  
Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nune sive in posterum habeant. Contrariis nihil  
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Octobris, anno MCMLXXXVIII,*  
*Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1988 - Libreria  
Editrice Vaticana

---